



**M**Athias Aquisgrani apud Belgas natus et optimè educatus fuit. Is cum artium & linguarum rudimenta percepisset, sese hinc inde ad varias Academias contulit, & sacris literis & Patrum lectioni incubuit. Itaque tandem suis uigilijs effecit, ut S. Theologiæ Doctor crearetur. Ad hanc eius eruditionem uitæ integritatem raramq; facundiã coniunxerat. Id cum Ferdinandus Imperator cognouisset, eum liberali stipendio proposito ad se uocauit, & aulae suæ concionatorem constituit. Vnde Mathias sacras literas magna diligentiã pro cathedra exposuit, atq; aulicorum uitia & mores magno zelo reprehendit. In primis uerò Catho-

licorum doctrinam confirmauit, & aduersarijs se fortiter opposuit. Itaq; Cæsari gratissimus extitit, atq; apud suæ sortis homines magnum sibi nomen comparauit. Is quoq; 1562, cum Maximilianus Ferdinandi filius Franckoforti Cæsar eligeretur, suæ uocationi inhærens adfuit, & ob naturalem eloquentiam omnibus innotuit. Anon.